Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 91

Quelle:
Copyright:

SS. in quibus tamen nihil, unde de loco, tempore, poſſeſſore ſtatuas.

LXVI.

U. 70 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. 4. tribus exaratus columnis, media craſſiuſcule ſcripta, fiſtit *Pſalterium* utrinque *Poſtillis Nicolai de Lira* O. M. ſtipatum, quae multoties typis excuſa ſunt. Praefatio inchoat: *Propheta magnus ſurrexit in nobis. Luce VII. Quamuis liber pſalmorum apud hebreos* &c. Igitur imperite quis *Conradi Salzer* nomen praefixit. Celebre fuit *Salzeri* nomen in Academia noſtra, ſed is *Ambroſius* fuit et Sec. XVI. floruit. Reperitur quidem apud *Ederum* et in *Locheri Spec. Acad. Conradus Salder* vel *Selder de Rotnacker* Procurator Rhen. et Philoſophiae ad ann. 1449. 59. et 66. Decanus, Rector item Acad. a. 1461. qui fortaſſe *Salzer* ſcribendus erat, at certo de Codice nihil niſi operam calami, aut poſſeſſionem ſibi vindicare poteſt. Ad calcem *Pſalterii* legitur: *Finitum in 3ª feria poſt oculi.*

Fol. 374. p. 2. Exponitur Oratio Dominica hoc ingreſſu: *Pater noſter. Circa iſtam orationem quedam notanda ſunt in generali. primo quod iſta oratio dominica populo debet dici alta uoce ut audiat et diſcat. Hinc greci habent iſtam conſuetudinem quod eam vna cum ſacerdote cantant. Iſtam orationem precepit gregorius in miſſa ſuper eukariſtiam dici, ſed ſcolaſticus compoſuit aliam ibidem dicendam.* Ex his conjecta de toto.

LXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 72 Folior. 408. 4. coagmentatus eſt e diverſis ſacri argumenti Opuſculis a diverſis conſcriptis, quorum potiſſima haec ſunt: *Pſalmi Davidici* priores VIII. et poſt eos *Cantica Biblica* cum expoſitione quadam. *Fol.* 28. p. 2. Quaeſita varia de Statu religioſo, de Fide, et Perſonis divinis. *Fol.* 37. Proluſio in laudem Philoſophiae moralis in illud *Senecae* L. I. Epiſt. 8. *Philoſophie ſeruias vt tibi contingat vera libertas. Fol.* 39. Farrago Poſitionum ex omni Theologia, ubi Nomina *Alexandri de Halis* ſive *Alenſis*, *Thomae*, *Bonaventurae*, *Durandi*, *Henrici de Haſſia*, *Nic. de Lira* &c. *Fol.* 177. Sermones X. quorum priores IX. habiti *in Cena Domini*, et ex his VI. ad *Scotos* Ord. S. *Bened. Vien.* annis 1441. 42. 44. 45. 47. 48. ut Clauſulae ſubjectae docent; decimus vero *in Feſto Purificationis* ad Membra Academiae *Vien. Fol.* 289. *Sermo Domini cardinalis Cameracen. factus in Concilio conſtant. die dominica qua cantatur Letare ieruſalem Anno &c. 1416.* Init: *Letare ieruſalem. Hoc breue uerbum magni gaudij expreſſiuum* &c. et habetur inter Opera *Petri de Alliaco* edita *Argent.* 1490. f. *Fol.* 297. *Tractatus de reformatione eccleſie*, cujus initium: *De reformacione eccleſie plura dudum per me ſcripta*

nunc